EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO
S·R·E· CARDINALI
BARBERINO
EPISCOPO OSTIEN.

Sacri Collegij Decano, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Viceccancellario Notitiam Musiuo expressæ opere Nauiculæ in Basilica Sancti Petri D.D.C.

I.M. S. E. O. V.

POESI persimilis, & cognata esse videtur Pictura, vulgoque circumfertur. Poesis est Pictura loquens, & Pictura Poesis muta, vnde mihi iocus excidit in eum, qui duas istas artes iunxerat,

Tunc Tibi, cum panges versus, Pictura loquetur;
Si tabulam pingas, muta Poesis erit;

Neque mirum si Poetæ faueant Pictoribus, eosque semper prouehere tentauerint, vel propter sympathiam; Romanæ suauissimus nempe fidicen lyræ canit.

A *Picto-*

Pictoribus, atque Poetis.
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas

Quo tempore Maximi Pontifices Auenioni sederunt, non deerant Pictores, non desiderabantur Poetæ, qui materna lingua Etrusca, & Prouinciale, imò & Latina profudere varia carmina, vtque Franciscum Barberinum Patricium Florentinum, & Cynum Pistoriensem, qui non minus Iuris quam Poetices studijs egregiam nauarunt operam, & Dantem Aligherium Florentia quoque ortum, omittam cum numeroso agmine vatum Prouincialium, qui Gayæ (vti vocitabant) scientiæ canori Professores audiebant; Franciscus occurrit inprimis Petrarcha Florentiæ decus; offert se Zenobius de Strata illius popularis, qui Laurea donatus fuit à Carolo IV. Imperatore, cuiusque versus aliquot Latini perelelegantes referuntur à Mattheo Villani c. 25. lib. 5. at Petrarcha in Odis Etruscis palmam, in Latinis promeruit Lauream; ingererent sese alij, nec enim adscribendos censeo Bernardum Rutenen. S. R. E. Cardinalem, quem Poeticis serò deditum studijs, leges tamen Poeseos negligentem carpit Petrarcha, carmen ad eum dirigens haud illepidum, nec reliquos, qui Leonis rhythmum sequuti Homœoptota, & Homœoteleuta incinebant mertra, vel Poemata, seu potius ponemata, & ingeniorum tormenta; Poetam profectò se præstitit eximium, ac expolitum æuo illo, qui mihi nunc omnium instar erit, Iacobus cognomine Gaytanus Sancti Georgij ad Velum aureum, seu Velabrum Diaconus S. R. E. Cardinalis Romanus, Filius Petri Stephani, seu Stephanensis, & Pernæ de Filiabus Vrsi, seu Vrsinorum, à Bonifiacio IIX. Pont. Max. delectus ad eam dignitatem, opus Prosometricum de vita, & gestis Sancti Cælestini Papæ scripsit, & vitam Sancti Geor-

gij

gij Mart. Valentiæ Cauarum, exstabant Codices M. SS. in Archiuo Pontificio Auenioni, quod reconditum reperit Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Ioan. Franciscus à Balneo mihi semper laudandus, dum ibi Prolegatum ageret; supersunt & in Bibliotheca Basilicæ Sancti Petri cum Picturis Iotti manu ductis ex auro, minioque; prompti versus ex eo leguntur charactere Gotthico insculpti sub Sancti Georgij effigie picta à Simone Memmio in Propyleo Auenionen. Ecclesiæ, eosque inseruit auctor Labyrintho Regio p. 212.

Iottus autem, qui Zetus, Gotthus, seuIoctus, Vespiniani (Villa est à Florentia X. seu XIV. milliaribus dissita in agro Mugellano) natus Anno 1276. cognomento Bindonius e Patris Bindonis nomine, Pictor insignis, Francisco Petrarchæ memoratus, picturis suis illustrauit Ecclesiam Assiensẽ iussu Ioannis à Murro Picentis Magistri Generalis Ordinis Minorum, teste Petro Rodulpho Tossinianen. l. 2. Hist. Seraph. p. 195. 258. 249. ad annum 1304. Benedictus XI. eum Romam euocauit vt pingeret in S. Petri; hunc Iottum & Benedictus XII. Pont. Max. ingenti pretio Auenionem ad pingendas Martyrum Historias in Palatio abs se constructo conducere in animo habuit. Phil. Bergom. lib. 1. supplem. Chronic. ad annum 1342. Platin. in Bened. 12. Ciacon. de vit Pont. edit. 1. p. 648. 651. & 709. Bzou. tom. 14. Annal. S. Eccles. ad annum 1340. col. 905. S. Antonin. part. 3. Chronic. tit. 21. c. 6. §. vlt. Albertin. de laud. Flor. Vasar de vit. Pictor. plura eius enumerans opera, & Boccacius in Nouell. Torrig. p. 331. Cryptar. Vatican., qui affirmat illum obijsse Florentiæ ibique tumulatum fuisse in Sanctæ Mariæ de Flore die 8. Ianuarij anno 1336. vbi positum est Epitaphium ab Angelo Politiano, cuius initium. *Ille ego sum per quem*

A 2 pictu-

pictura extincta reuixit; pòst Iottum surrexere manus Pictorum, ait Æneas Syluij epist. 119. & l. 2. Commentar. Imago Virginis Deiparæ in Cryptis Vaticanis depicta fuit ab eodem Iotto. Torrig. p. 330. B. Vmilianæ de Cerchis Viduæ Florentinæ Tertiariæ effigies ab Iotto picta seruatur in Oratorio domestico nobilissimæ gentis de Cerchis; pinxit & Iottus suprascripto Iacobo poeta, & eius Mæcænate mandante Romæ in S. Georgij Diaconia, Saluatoris, & BB. Martyrum Georgij, & Sebastiani effigies, vt Grimaldus asserit, & Torrigius p. 162. sed præcipuè operè Musiuo pictis è tessellis nauim celeberrimam concinnauit; eiusdem Cardinalis mandato ad annum 1300. supra tres portas in Porticu S. Petri, Simone Memmio pictore quoque percelebri iuuante, & illius Cardinalis vultum expressit ad viuum in tabulæ angulo, persoluitque manupretium Cardinalis ipse 2200. florenorum, vt auctor est Seueranus etiã libro de septem Ecclesijs p. 55. visebatur illa in Paradiso siue atrio Basilicæ Sancti Petri, sed Paulus V. Pont. Max. anno 1617. die 24. Augusti transtulit in murum super scalas vbi foras erat, opusque fuit absolutum anno 1618. à Marcello Prouenzale, cuius ibi nomen legebatur (erat ille natus Centi in Agro Bononien. Baglion. in Appendice Vasari vitæ Pictorum p. 245.) cum inscriptione *Paulus V. Pont. Max. Nauiculæ sacrum monumentum ex ruinis Vaticanæ Basilicæ seruatum posuit, & ornauit.* Sed quia exposita inclementiæ aeris consumebatur, Vrbanus VIII. sapientissimus, & prouidentissimus Pont. Max. hanc intra Ecclesiam supra portam Regiam collocari iussit die 14. Aprilis Anno 1629. idque peractum fuit die 12. Iunij cum epigraphe. *Huius picturæ exemplar, quod ante annos 300. à Iotto Florentino celebri Pictore opere musiuo elaboratum est, Vrbanus VIII. Pont. Max.*

Max. ex area Vaticana in Basilicam Principis Apostolorum transtulit; eiusque dedit insuper exemplum Ecclesiæ Cappuccinorum à se decoratæ, quam Frater eius Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Antonius eiusdem ordinis sectator pientissimus anno 1628. à fundamentis exstruxerat.

Panuin. de 7. Vrb. Eccles. p. 78. Roman. Canonic. in descrip. Basil. Vatic. p. 140. & 141.

Iacobus (inquam) Gaytanus de Stephanescis suprascriptus Cardinalis, & Basilicæ S. Petri Canonicus, in eius Paradiso Historiã de opere Musaico, qua Christus Petrum Apostolum (vt in Collecta recitatur) in fluctibus ambulantem dextera, ne mergeretur, erexit, eiusdem Iotti Pictoris singularissimi manu fieri fecit. Erat autem auunculus Anibaldi de Aquila de Ceccano S. R. E. Cardinalis, qui sepultus fuit in Sacello SS. Laurentij, & Georgij Martyrum constructo, & dotato ab eodem Iacobo Cardinale, demortuus cum esset Legatus Sedis Apostolicæ Romæ anno 1350. die 5. Idus Iulij; huic Sacello Iacobus iste Archipresbyter Basilicæ donauit imaginem argenteam, in qua de capite Sancti Georgij particulam reposuerat, fusè Torrigius, è Grimaldo p. 163. Crypt. Vatic. Innocentius X. eamdem nauim è Basilica Sancti Petri, retulit deinde in locum pristinum, in quo Paulus V. statuerat; Alexander denique VII. cum Porticum excitasset, ipsam inde præcepit auferri, Iacebat itaque magnificum hoc Operæpretium imminutum, sensimque disperibat, donec S. D. N. Clemens X. Pont. Max. instaurari voluit ab Horatio Mannetto Sabino, qui arte pingendi præcellens, ne sæculum nostrum inuideat Iotti, & coæuorum industriæ, neue arcessat longinquis terrarum ab oris Latinitas, vti qui Casinen Monasterio præerat Desiderius, huiusmodi artifices Musiuarios, efficit. Chronic. Casinen. l. 3. c. 29. cum notis eruditissimi D. Angeli de Nuce Rosanen. Archiepiscopi. is in SS. Cosmæ, & Damiani

Ap-

Apside Musiuum à Felice IV PP. constructum iuiuria temporis deletum, atque collapsum Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini inexhausta liberalitate aptè adeò reparauit; vt pænè tanti fuerit illud corruisse.

Refert hæc e Musiuo pictura Historiam, quam attingit Sanctus Ioannes Apostolus Christo prædilectus c. 6. Euangel. v. 18. Sanctus Marcus paulò amplius recenset c. 6. v. 47. at enarrat fusissimè Sanctus Matthæus c. 14. v. 22. &c. cum enim Christus in deserta solitudine inter Bethsaidam, & Tiberiadem 5. panibus, & duobus piscibus distributis satiasset hominum 5. millia, exceptis mulieribus, & paruulis, compulissetque Discipulos suos ascendere Nauiculam, eaque Vespere in medio mari iactaretur fluctibus, erat enim ventus contrarius, 4. Vigilia noctis venit ad eos Iesus ambulans super mare, & ipso iubente Petrus ambulauit super aquam, cumque timuisset valdè videns ventum validum, & cœpisset mergi, clamauit dicens (Domine) saluum me fac, & continuo Iesus extendens manum apprehendit illum, & ait illi, modicæ fidei quare dubitasti, quæ omnia opere Musiuo expressa sunt graphicè; verum symbolicè quoque Dæmones delineati sunt ventorum specie vehementer flantes, & rapidè spirantes, atque concutientes Ecclesiam, quæ Christi nauis est, ab eoque ad portum salutis deducta tendit, & irradiatur sursum, indicant id apparentes quatuor Euangelistarum figuræ in nubibus hinc inde Ecclesiæ nauim repræsentantes, quæ si nutat interdum, ac titubat, nunquam tamen submergitur.

Neque mirandum Euangelistas quasi demissos e Cælo ferri per aera, & adesse illi, cum ex istis duo Apostoli essent intra nauim, numerantur quippe duodecim omninò intra eam; Bonifacius etenim IIX. Pont. Max. in c. 1. de Reliq. &

Vene-

Venerat SS. lib. 6. post Apostolos numero duodeno contentos ponit quatuor Euangelistas, eorumque festiuitates sub officio duplici celebrari vult, secernens, & separans à duodecim Apostolis; Euangelistas quatuor, quamuis ex Euangelistis duo sint Apostoli, Matthæus scilicet, ac Ioannes, qui Ecclesiæ subministrant auxilium præsentissimum aduersus procellas hæreticorum noxias, Euangelico testimonio ipsam roborantes, & refringunt Dæmonum impetus. Hactenus congessi quæ de nauis istius effigie, & auctoribus, varijsque casibus collegeram. Eminentiam verò Vestram supplex rogo, vt laborem hunc meum æqui, bonique consulens, qua solet excipiat benignitate, dum pro Ecclesiæ solida naui non desinit laborare, animumque mihi addet vti, quę de Musiuis sacris excerpsi ad calcem perducam. Deum Opt. Max. interim, Eminentiam Vestram manu apprehensam, vt erigat semper, assiduus exorabo.

ROMÆ; Typis Michaelis Herculis. M. DC. LXXV.

Superiorum permissu.